

Tannerum differt. de Cœlis, aut animas mortuorum, ut est apud Macrobius l. 1. in Somn. Scip. cap. 11. inibi commorari, sed ut simplici vocabulo terrestria phænomena ad Lunæ globum restringam, mentis fictione, ac si nos ipsi Terram oculis nostris è Lunâ respiceremus. Observationibus porrò institutis deprehendimus:

1. *Quod Terra Selenitis appareat instar disci.*
2. *Quod discus Terræ Selenitis quindecies ferè major videatur, quàm discus Lunæ Terricolis.*
3. *Quod discus Terræ splendeat.*
4. *Quod Terræ facies splendida maculis distincta videatur.*
5. *Quod splendor Terræ major sit splendore Lunæ.*
6. *Quod Terra phasibus diversis, ut Luna, successivè crescere & decrescere videatur.*
7. *Quod Terra nonnunquam patiatur Eclipsim.*
8. *Quod Terra Selenitis videatur moveri.*

De singulis phænomenis hisce seorsim in subsequentibus agendum est, ut adductis causis veritas eorū clariùs elucescat.

Sit igitur

C A P U T III.

Phænomenon I.

TERRA SELENITIS APPARET INSTAR DISCI.

Globosum esse terraqueum hoc in quo degimus elementum, ejusque superficiem, si non geometricè & perfectè, physicè tamen & sensualiter sphericam esse, partim ex uniformi ortus & occasus Solis anticipatione, secundum longitudinem; partim ex diversâ, proportionali tamen, polorum elevatione, secundum latitudinem; partim ex tumore maris quaquaversum notabili, constat, ut pluribus illud deducit *Clavius in Sphærâ, Argolus in Pandosio Sphærico, Keplerus in Epitom. Astron. Copernicana.* Quicquid *Anaximander de figurâ columnari: de Cylindraccâ Leucippus: de Conicâ Cleantes: de Scaphio Heraclitus: de disco cavo Democri-*